



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XXXVIII. De Procvratoribvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

S. Clericus.

PARAPHRASIS.

Si Clericus, contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneo aliquo Aduocatus, vel Procurator existat, tanquã ingratus beneficio priuari debet.

Ratio huius est, quia etiam vasallus beneficio feudi priuatur, si contra dominum suum militauerit, lib. 2. feudorum, tit. 24. Quæ fuit prima causa feudi amittendi. Aduocati autem militibus comparantur, cum per eos hominum vita, & patrimonium defendantur, l. Aduocati, 14. C. de Aduocatis & c. Eademque ratione, si Aduocatus contra alium donatorem suum patrocinium alicui præstet, donatio illi facta ob ingratiitudinis notam reuocari potest, sicuti tradit Abb. hic n. 2. Andr. Gaill lib. 1. obseruat. 88. n. 6. argum. huius textus, & c. ult. de donat.

Sed excipi debet primò, Nisi Superioris præceptum, idè quæ necessitas quædam co-

gat. Quæ tamen facillè imponi non debet Aduocatis, vt contra dominos, aut insignes benefactores suos operam suam in iudicio præstare cogantur.

Excipi debet secundò argum. huius textus; Si pro persona sibi coniuncta postulet: perinde enim censetur, ac si propriam causam ageret. Quæ de re Specul. lib. 1. p. 4. tit. de Aduocato, §. 1. n. 30. Ioan. Andr. hic n. 7.

Illud in quæstione est, vtrum Aduocatus patrocinium præstare possit contra Rempubl. vel dominum, à quo salarium habet, vt paratus sit causas eius defendere, si vocetur. Affirmat Abb. hic n. 3. Quia salarium Aduocatus non accipit vt donum, seu beneficium, sed tanquam meritum, seu mercedem. Sed contrarium docent Bartol. in l. 2. C. Aduocatis diuers. iudicium, Andr. Gaill loco cit. Et hæc sententia in praxi apud nos viget, quòd ea conditione expressa, vel tacita conditione salarium annuum Aduocato constituatur, vt contra constituentem aduocare ipsi non liceat, nisi Superioris, seu Principis præceptum cogat.

TITVLVS XXXVIII. DE PROCVRATORIBVS.



Vomodo Procurator ad lites differat ab Aduocato, leges in Theol. morali lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator, & n. 8.

CAPITVLVM I.

Alia.

PARAPHRASIS.

Cum Episcopi Salonitani causa Romæ decidenda esset, quidam eò accesserunt, vt causam eius prosequerentur: Sed Episcopus

rescripsit, se illos non misisse, idè quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem cum idem Episcopus alios submitteret, neque ipsis fidem habendam esse iudicauit Gregor. I. Pontifex, eò quòd mandatum procuratorum exhibere non potuerint. Mandatum itaque idem Gregorius, vt personam instructam cum mandato legitimo, subscriptionibus Capituli, & testium raborato, alijsque actis authenticis transmittat: vt quidquid cum tali procuratore actum fuerit, de iure subsistat.

SYM.

SUMMARIUM.

1. De gestis cum Procuratore falso, seu qui mandatum non habuit, non tenetur dominus seu principis alis sed ipsemet Procurator conveniri potest.
2. In casu dubio, an Procurator mandatum habeat, praestita cautione de rato admitti potest, non tamen debet, si nihil asserat, nisi meram assercionem, dicendo scilicet se missum esse, seu mandatum habere.
3. Non opus erit cautione de rato, si mandatum Procurator per testes probare velit. Si tamen insufficientis ad soluendum videatur, cautio fideiussoria exigere potest.
4. In gestis ab Univeritate v. g. Capitulo, qui de Capitulo sunt, & consensum prestare, debent, non possunt describi tanquam testes.

NOTANDUM I. De gestis cum Procuratore falso, seu qui mandatum non habuit, non tenetur dominus, seu principalis, uti etiam habetur in l. licet, 24. C. de Procurator. l. 3. §. falsus, ff. rem ratam habere. Sed ipsemet procurator conveniri potest, l. Plautius, 61. ff. de procur. & notat ibi Gl. margin. Abb. hic not. 1.

NOTANDUM II. Tametsi in casu, cum dubitatur, vtrum procurator mandatum habeat ad litigandum (v. g. si sigillum instrumenti incognitum sit) praestita cautione de rato, admittatur, l. 1. C. de procur. tamen admitti haud debet, si nihil asserat, nisi meram assercionem, dicendo videlicet se missum esse, seu mandatum habere, uti colligitur ex hoc c. & tradit ibi ex communi Bartol. §. Secundo dicitur, contra Gl. in cit. l. 1. ver. cautio, ubi non recte ait, rem dubiam fieri, eo ipso quod procurator asserit se mandatum habere, & adversarius id ipsum negat. Cum enim affirmanti probatio incumbat, ideo si nihil omnino probet, non censetur dubia, cum praesumptio contra illum sit.

3. Caeterum in casu, quo de procuratorio mandato dubitatur, si illud procurator per

testes probare velit, admittendus est, ita ut opus non sit cauere de rato, quia nihilominus obligabitur adversario, si se fefellerit: Quod si autem procurator sufficiens non videatur ad soluendum, tum cautio fideiussoria exigere potest. Vide Gl. hic ver. portitoribus, Bartol. cit. l. Abb. hic n. 5.

NOTANDUM III. In gestis ab Univeritate, v. g. Capitulo, ij, qui de Capitulo sunt, & auctoritatem seu consensum praestare debent, non possunt describi tanquam testes, uti Imola hic monet n. 3. & sumitur ex c. literis, 6. de transact.

CAPITVLVM II.

Querelam.

PARAPHRASIS.

Inter Episcopum Sabinensem, & Antonium Clericum controuersia erat, quam Pontifex Vigornensis Episcopo commiserat; Is citauit Antonium, qui tunc ob infirmitatem accedere non potuit: eamque excusationem suam per missos ad Episcopum probare paratus erat. Sed hoc non obstante, Episcopus Vigornensis dictum Clericum in expensis condemnauit, propterea quod ad terminum constitutum non aduenisset. Postea vero Papa Alexander III. eundem a sententia hac absoluendum esse dixit; quia citatus ad iudicium in causa graui, si ipsemet venire nequeat, inuitus cogi non possit, ut procuratorem mittat.

SUMMARIUM.

1. Infirmus grauiter habet iustam causam non veniendi ad iudicium; nec tenetur mittere Procuratorem, si causa grauis & ardua sit.
2. Sententia contra absentem, velut contumacem, lata ipso iure irrita est, si iudici constet, vel probata est iusta absentia eius; valet autem, si eadem non constet de impedimento, vel probabile.

babuliter idignoret, debet tamen, petita restitutione in integrum, rescindi.
 9. *Si impedimentum perpetuum, aut diu sit duraturum, nec causa differri queat, mittendus est Procurator.*

NOTANDVM Vn. Infirmate graui detentus, habet iustam causam non veniendi ad iudicium: Neque tenetur Procuratorem mittere, si causa grauis seu ardua sit. Vide l. 2. §. 1. ff. si quis cautionibus, & l. quaesitum, Co. ff. de re iudic. Innocent, hic n. 1.

Quaestio est: An mero iure valida sit sententia contra absentem, veluti contumacem lata, si iustum non veniendi impedimentum habuit. Respondeo, cum Gl. margin. in cit. l. quaesitum, Abbate hic n. 4. Vel Iudici constat seu probata est iusta absentiae causa, tum ipso iure irrita est sententia, cit. l. quaesitum. Vel non constat Iudici de impedimento, sed probabiliter ignorat: tum valet sententia condemnatoria, debet tamen, petita restitutione in integrum, rescindi, argum. c. ex literis, de in integr. restitutione,

3. Caeterum, si impedimentum perpetuum sit, aut diu duraturum, & causa differri nequeat, tunc impeditus procuratorem mittere debet, uti docet Gl. in c. cum delicti, 6. de dolo & contumacia, Bartol. in l. 1. ff. de diuers. & temporal. praescript. Abb. hic n. 7.

CAPITVLVM III,

Ex insinuatione.

PARAPHRASIS,

Cum inter Archidiaconum Sagiensem & Magistrum Gasparem controuersia super praebenda mota esset, Archidiaconus praesentibus duobus clericis Procuratori suo inhibuit, ne mandato, seu instrumento suo procuratorio uteretur: Sed ipse, spreta ea inhibitione seu reuocatione, nihilominus litigauit, & contra se latam

sententiam reportauit. Accidit autem, ut vnus ex duobus clericis, qui de reuocatione ista testari deberet, vitam excederet. Hoc in casu mandat Clemens III. ut recepto iuramento tum a clerico superstitite, tum ab ipso Archidiacono, praebenda illa, non obstante sententia prius lata, eidem restituatur, dummodo canonicum aliud non obstat impedimentum: Facta autem restitutione, si idem Archidiaconus institutione suam probauerit, tunc eam rata permanere, remota appellacione, debet,

SVM MARI VM,

1. Procurator, etiam per instrumentum institutus, solis verbis seu scriptura reuocari potest: reuocatio autem si facta negetur a Procuratore, per duos testes probari debet.
2. Vnus testis facit semiplenam probationem, ita ut in causa non criminali, nec famosa, aut valde ardua iuramentum quandoque deferri possit ad integra probationis complementum.
3. Spoliatus a Iudice per sententiam nullam, potest petere restitutionem; restituenda etiam est ei possessio, antequam de proprietate rei cognoscatur.
4. Restitui tamen non debet, si obstat canonicum impedimentum.
5. Si possessori restitit in commune, tenetur ostendere titulum possessionis suae.
6. Literas papales impetrans ad beneficium, tanquam de iure vacans, quod non facto possidetur, debet ostendere nullitatem.

NOTANDVM I. Procurator, etsi per literas seu instrumentum constitutus sit, potest solis verbis, sine scriptura reuocari. Necessè tamen est, ut reuocatio probetur, v. g. per duos testes, si eam factam esse Procurator neget.

NOTANDVM II. Vnus testis in iudicio facit probationem semiplenam; adeo ut in causa non criminali, nec famosa, aut valde ardua, iuramentum a Iudice quandoque

que deferri possit ad integræ probationis complementum. Ita habetur in hoc c. & consentit l. in bonæ fidei, 3. in. Gl. C. de rebus creditis, Gl. in c. vlt. ver. à te. de iure iur. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 5. n. 3.

3 NOTANDVM III. Spoliatus à Iudice per sententiam nullam, potest petere restitutionem, ita vt prius de proprietate non cognoscatur, quàm possessio ei restituta sit, vti etiam dixi c. causa, 22. not. 2. de offic. delegati. Si tamen Iudex probabili errore ductus est, vt quia nesciuit, Procuratorem reuocatum fuisse, tunc agi non potest contra eum interdicto vnde vi; cum iniuriam non intulerit; sed per viam nullitatis, vt Iudex ex officio, declarata sententiâ nullâ, restitutionem faciat. Qui videtur esse casus huius c. & docet Innocent. hic n. 2. Abb. n. 4.

4 NOTANDVM IV. Spoliatus restitui non debet, si canonicum obtet impedimentum. Et Gl. quidem hoc ver. quatuor affert exceptiones, quæ spoliato restitutionem petenti obijci possint: I. Quod excommunicatus sit, ac nondum absolutus. II. Quod pactus sit de restitutione non petenda. III. Quod contra ipsum spoliatum sententia lata sit super proprietate. Nam agenti possessorio iudicio obstat exceptio notorij defectus proprietatis, sicuti dixi lib. 5. Theol. mor. tr. 10. p. 4. c. 7. n. 10. IV. Quod sententiam Iudicis, ob quam possessione deiectus fuit, cum nullitatis arguere posset, ratam haberit.

5 NOTANDVM V. Si ius commune resistat possessori (vt in casu huius c. quod Archidiaconus aliam insuper præbendam incompatibilem habeat) tum tenetur ostendere titulum possessionis suæ, vti dixi in c. 3. not. 2. de offic. Ordin. in 6. & tradit Gl. hic ver. probare. Veruntamen etiam in causa beneficiaria, spoliatus possessione prius restitui debet, quàm titulum institutionis suæ exhibere, aut probare teneatur, sicuti aperte colligitur ex hoc c. & contra multos docet Abb. in c. in literis, n. 12. & seqq. de restit. Spoliatorum. Dummodò notorium non sit, titulum seu ius beneficij nullum cōpetere, vt supra dixi not. 4.

Corollarum. Si quis literas Papal. impetrat ad beneficium, tanquam de iure vacet, quod de facto possidetur, debet ostendere nullitatem; cum alioquin præsumptio sit pro possessore, l. vlt. C. de rei vindicatione. Ita Abb. hic n. 9.

CAPITVLVM IV.

In nostra.

PARAPHRASIS.

In criminali aliqua causa, quæ erat inter Tullensem Episcopum, & Decanum, Episcopus duos Presbyteros Procuratores destinavit ad Sedem Apostolicam; sed paulò post de fide illorum dubitans, mandatum procuratorium ab eisdem reuocauit. Sed illi nihilominus, tametsi literas mandati reuocatorias recepissent, in iudicium ingressi vnâ cum aduersario literas Apostolicas ad Iudices delegatos impetrarunt. Coram his Episcopus excipiens, inducias sibi dari postulavit ad probandum, quod falsi Procuratores fuerint. Sed Iudices exceptione ipsa tanquam inutili reiecta, dilationem concedere recusarunt; quare Episcopus ad Sedem Apostolicam appellauit. Verùm ea non obstante, Iudices lite non contestata, ac iuris ordine prætermisso, testes contra Episcopum receperunt, eumque à Tullensi Ecclesia remouerunt. Mirabilia hæc visa sunt Innocent. III. Sed vera esse credidit, quia viri Religiosi, prouidi, honesti, cum iuramento de ijs testati fuerunt. Quamobrè idem Innocentius processum Iudicum illorū irritandum, seu potius irritum esse iudicauit: propterea quod falsi Procuratoris exceptio non solum ante, sed etiam post latam sententiam obijci possit; ita vt iudicium, seu acta iudicij nullius momenti sint, si talis exceptio probata fuerit.

FFFFF

SVM-

SUMMARIUM.

1. Presbyter potest constitui Procurator Episcopi ad lites.
2. Acta iudicij cum procuratore falso nullius momenti sunt, per se loquendo; & talis exceptio etiam post litem contestatam, & latam sententiam opponi debet.
3. Si persona ad procurandum inhabilis vel prohibita constituta sit, qua per se in iudicio stare potest, tum exceptio contra illam opponi debet ante litem contestationem: post illam autem opponi potest, si per se stare non possit in iudicio.

NOTANDUM I. Presbyter potest constitui Procurator Episcopi ad lites. Quod videtur esse contra c. vii. de postulando: Sed respondetur, Ob coniunctionem, & reuerentiam, quam Presbyter Episcopo suo debet, non minus posse eum postulare, vel Procuratorem agere pro Episcopo, quam pro Ecclesia sua. Ita Ioan. Andr. hic n. 2. Abb. not. 2. Idque maximè locum habet, si Episcopus defendendus sit.

NOTANDUM II. Acta iudicij cum Procuratore falso (id est, qui madata procuratorium non accepit, vel à quo reuocatum fuit) nullius momenti sunt, per se loquendo. Quamobrem talis exceptio, sicuti & omnia alia, quæ est de nullitate iudicij, etiam post litem contestatam, imò post latam sententiam opponi potest. Ita Gl. hic communiter recepta, ver. exceptio, & habetur in l. licet, 24. C. eod.

3. Sed quid? Si aliquis secundum iura inhabilis, aut prohibitus (vt Clericus, Minor natus, aut Religiosus) procurator constitutus sit. Resp. cum Bartolo in l. filiusfamil. §. Veterani, n. 5. ff. de Procur. Abb. c. penult. n. 6. infra, eod. distinguendum esse: Si enim sit persona, quæ per se in iudicio stare potest, vt clericus, miles, mulier, tum exceptio contra illam ante litem contestationem opponi debet: alioquin, si non opponatur, efficietur dominus litis, vt deinde repelli

nequeat, iuxta l. ita demum, 13. iun. Gl. C. eod. Sin autem per se stare non possit in iudicio, vt amens, pupillus, Religiosus; tum exceptio etiam post litem contestationem opponi poterit.

CAPITVLVM V.

Tuz.

PARAPHRASIS.

Si maritus uxorem coram seculari Iudice de adulterio accuset criminaliter ad poenam legalem ei inferendam, non per procuratorem, sed personaliter præsens esse debet; cum se inscribere, & ad talionis poenam obligare debeat. Sin autem uxorem accusare velit coram Iudice Ecclesiastico ad diuorsium instituendum, tum licet se inscribere debeat, vt nomen, locum, tempus, & alia lege civili requisita designet; quia tamen ad talionis poenam, si forte in probatione defecerit, obligare se non tenetur, ideo sustineri potest, si necessitas id postulet, vt per procuratorem agat: Quia eiusmodi accusatio etsi de crimine sit, non tamen est criminalis; sed veluti mixta inter civilem & criminalem. Securius tamen erit, si partes principales personaliter in iudicio compareant.

SUMMARIUM.

1. In causa criminali, ubi non pecuniaria multa, sed maior poena, seu capitalis poena pro crimine imponenda sit, partes personaliter adesse debent. Si tamen reus adesse commode nequeat, per procuratorem se defendere potest.
2. Qui alterum criminaliter accusat, inscribere se, & ad poenam talionis obligare debet sed hodie per desuetudinem sublata est.
3. Iudex secularis cognoscit de adulterio, si agatur criminaliter ad poenam sanguinis; Ecclesiasticus si agatur ad diuorsium, seu tori separationem.
4. Instituens criminalem actionem contra adulterum

adulteram ad publicam eius punitionem, finito hoc iudicio non potest agere ad diuortium instituendum; vel vice versa, finito iudicio diuortij, eandem criminaliter accusare.

5. *Si autem propriè, & directè agatur de interesse seu compensatione damni rei familiaris, actio hæc civilis non præiudicat criminali, sed unâ finitâ, altera institui potest, simul tamen utraque intentari nequit.*

Pœna adulteris decreta erat capitæ amputatio, l. quamuis, 30. C. Ad l. Iuliam de adulteris. Ea tamen correctæ fuit in fæminis adulteris, vt verberatæ in Monasterium detrudantur, Auth. Sed hodie, C. eod. Nunc verò multis locis ob adulterij crimen exilium, aliæque arbitraria pœna decernitur, sicuti testatur Iac. Menochius de arbitr. qq. casu 419. n. 74. Alia insuper pœna adulteris decreta est in l. consensu 8. §. 1. C. de repudijs, nouella Iustiniani 117. Velicet matri, §. Quia verò plurimas, & approbatur in c. plerumq; de donat. inter virum & vxorem; vt ob vxoris adulterium vir dotem eius lucretur, neq; restituere cogatur, & similiter vxor donationem propter nuptias ob adulterium mariti. Quæ de re dixi in lib. 3. tr. 4. c. 13. n. 7. & videri potest Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 8. q. 1.

1. **NOTANDUM I.** In causa criminali, si non pecuniaria multa, sed pœna maior seu capitalis pro crimine imponenda sit, partes personaliter adesse debent. Ita hic, & in c. veniens, 15. de accus. l. 1. ff. An per alium causæ, &c. Id verò maximè verum est, si loquamur de Actore, seu Accusatore in criminali causa, vt ex hoc c. apparet. At verò Reus criminaliter accusatus, si absens se sistere commodè non possit, per procuratorem defendi posse, colligitur ex l. 3. C. de accusat. & l. feruum, 33. §. Publicè, ff. de Procur. & ex c. præc. & docet Iacob. Cuiacius lib. 20. obseruat. 20. sicut eum citat & sequitur Fachinæus lib. 1. controuerf. iuris, c. 24. Quamuis Gl. in cit. c. præc. ver. præsentia, dicat procuratorem in causa criminali, tantùm interueni-

re posse ad inquisitionem, aut exceptionem; seu ad allegandam causam absentia, iuxta l. absens, 71. ff. de procur. & videri potest Gl. in cit. c. veniens, ver. criminali.

NOTANDUM II. Qui alterum criminaliter accusat, inscribere se, & ad talem pœnam obligare debet, si probare crimen non potuerit, qualem alter sustinere deberet, si conuictus fuisset, l. vlt. C. de accusat. & subscript. Quamuis autem hæc pœna talionis sublaça fuerit, si maritus vxorem de adulterio accusaret, cit. l. quamuis; tamen iterum restituta est in cit. nouella Iustiniani 117. Vt liceat matri, §. Si de adulterio, & habetur in hoc c. Sed hodie per desuetudinem iterum desijisse talionis pœnam, testatur Clarus in pract. crimin. q. 81. n. 3. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 3. n. 4.

NOTANDUM III. Secularis Iudex de adulterio cognoscit, si agatur criminaliter ad pœnam sanguinis; At verò Ecclesiasticus Iudex, non secularis, de adulterio cognoscit, in ordine ad diuortium, seu tori separationem, yti hic habetur, & in c. 1. Vt lite non contestata, & tradit S. Th. in 4. d. 35. q. vn. a. 3. ad 5. Sicuti enim indiuiduum nexum matrimonij, ob rationem Sacramenti, ad Ecclesiam pertinet cognoscere, & auctoritatiuè conseruare; ita etiã de causis eius dissoluendi iudicium ferre. Vide plura lib. 4. Th. mor. tr. 9. c. 2. n. 5.

Quærunthic Canonistæ: Si quis contra adulteram criminales actionem instituit ad publicam eius punitionem, vtrum finito hoc iudicio, possit etiã agere ad diuortium instituendum, seu tori separationem; aut, vice versa, finito iudicio diuortij, eandem criminaliter accusare. Responsio est negatiua cum Abb. hic n. 5. Soto lib. 4. sentent. d. 37. q. vn. a. 3. vers. colligito ergo, & constat ex l. interdum, 4. ff. de publ. iudicijs, & Quod Senatusconf. 6. ff. de iniurijs, ibi: *Si actum est publico iudicio, denegandum est priuatum; similiter ex diuerso,* & tradit Gl. §. in summa, Instit. de actionibus. Ratio est: Quia indecens videtur, vt aliquis idem delictum bis puniri possu-

let. Vtra ue autem actio tendit ad punitionem, licet altera ad publicam vindictam, altera vero ad priuatam. Ac simili ratione; Si quis criminaliter egit contra alteram, non potest deinde agere ad dotis amissionem, sicuti ex communi docet Sanchez lib. 10. disp. 8. n. 19. Cum & hæc poena quædam sit, licet applicanda actori, seu accusatori. Quamobrem talis actio quodam modo ciuilibis censetur, seu, vt hoc c. dicitur, mixta ex criminali & ciuili.

5 At verò si propriè ac directè agatur de interesse, seu iactura rei familiaris compensanda, ea actio ciuilibis non præiudicat criminali, adeò, vt vno iudicio finito, alterum iudicium institui possit, videl. vt postquam aliquis contra vulnerantem criminaliter egit, postea damni illati compensationem petat: vel post impetratam damni compensationem, publicam vindictam sicuti habetur expressè in l. vn. C. Quando ciuilibis actio criminali præiudicat. Sed simul vtraque actio intentari non potest, vt Gl. communiter recepta ibid. notat. Cæterum vnà cum actione criminali posse etiam incidenter, & accessoriè adijungi, vt damnum seu rei familiaris detrimentum compensetur, tradit Clarus in præf. crimin. q. 2. n. 2. Molina tr. 3. de iust. disp. 40. n. 19.

Accedit, quòd Iudex ex officio suo, non obstante accusatione criminali, compellere possit iniuste lædentem ad damni compensationem, nisi pars læsa remittere videatur, vt testatur Sanchez cit. n. 19. Mol. cit. n. 19. Quemadmodum & Iudex finito iudicio priuato ex actione, quam mixtam diximus, criminale iudicium ad publicam vindictam ex officio instituire non prohibetur, teste Claro cit. p. 2. n. 7.

CAPITVLVM VI.

Cùm pro causa.

PARAPHRASIS.

Si alicuius Ecclesiæ Clericus, v. g. Canonicus ostenderit, se ex mandato Capituli, Romam profectum esse, vt negotia aliqua promoueret expensas ob eam causam factas repetere potest. Consentit. c. 2. causa

12. q. 4. iun. Gl. vbi habetur; Si Sacerdos, seu Ecclesiæ Rector, seu prelati aliquid ex proprijs, seu patrimonialibus expedit in ecclesiæ rebus, ei restituendum esse. Quod & Abb. hic docet. n. 1.

SUMMARIVM.

1. Procurator & mandatarius quilibet repetere potest omnes expensas à domino occasione mandati vel negotij sibi commissi factas, et si euentus infelix fuerit.
2. Similiter agens sine mandato negotia absentis vtiliter, ac rationabiliter repetit actione negotiorum gestorum.
3. Qui propter aliam causam iterum esset ad Curiam Romanam, cui ego mea quoque negotia demandem, non potest is repetere à me sumptus itineris.

NOTANDVM I. Procurator, sicuti & quilibet alius mandatarius, repetere potest expensas omnes, quas occasione mandati, seu negotij sibi commissi, facere debuit, tamen si euentus infelix fuerit. Ita Gl. communiter recepta hic ver. propter hoc, & habetur in l. etiam si, 4. C. Mandati, vbi habetur, quòd procurator repetat sumptus litis, tamen si in causa succubuerit, dummodò eius culpam non acciderit. Quia nemini officium suum damnosum esse debet, vt docui lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 3.

Addit Gl. ver. de mandato, Tamen si aliquis non interueniente mandato, negotia absentis vtiliter ac rationabiliter gesserit, expensas actione negotiorum gestorum repeti posse, tamen si euentus infelix fuerit, l. sed an, 10. §. 1. ff. de negot. gestis, & docui cit. tr. 4. c. 28. n. 1. Veruntamen hoc discrimen est, quòd si mandatum alicui sit, vt negotium alterius suscipiat, non consideretur, vtrum vtile seu còsultum domino fuerit suscipi, aut tractari: Sed in actione negotiorum gestorum absq. præcedente mandato, id maxime spectari debet, vt constat ex cit. §. 1.

NOTANDVM II. Si alicui in propria, aut alterius causa Romam v. g. profecturo, mandem, vt mea quoque negotia peragat, non potest is à me repetere sumptus itineris, quos alioquin etiam absque meo mandato facturus fuisset, Ita colligitur ex hoc c. ver. propter

pter hoc, & l. ex parte 39. ff. famil. herciscun-
da, & notat Gl. fin. hic, Imola n. r. Abb. n. 2.

CAPITVLVM VII.

Quia in causis.

PARAPHRASIS.

Vniuersitas scholarium Parisensium, cum
interdum in iudicio stare deberet seu a-
gendo, seu defendendo, & omnes com-
parere non possent, petierunt ab Innoc.
III. vt ipsis liceret Procuratorem, seu
Syndicum instituere. Respondit Papa;
Tamen id eis, spectato communi iure
concessum sit, tamen etiam auctoritate
Apostolica se ipsis instituendi Procura-
toris facultatem concedere.

SUMMARIUM.

1. Vniuersitas potest ad causas agendas Pro-
curatorem instituere.
2. Scholares, ubi consuetum est, possunt inter
se facere Collegium seu Vniuersitatem,
ita vt Rectorem & Officiales eligant,
atque statuta condant pertinentia ad
facultatem suam, ita tamen, vt hoc mo-
do superiori Magistratui subiecti, seu
subordinati sint.
Idem potest Communitas opificum in ap-
probatis rebus publicis.
3. Quae iuri communi concessa sunt, interdum
à Principe conceduntur ad maiorem
confirmationem & securitatem.

NOTANDVM I. Vniuersitas potest ad
causas in iudicio agendas Procurato-
rem instituere. Nam etsi Procurator defini-
tur, qui mandatu domini negotia aliena ad-
ministrat, l. 1. ff. de Procurator. Tamen ipsa
Vniuersitas, tanquam persona ficta, loco do-
mini habetur, vt Gl. hic ait ver. de iure com-
muni. Veruntamen Procurator ab Vniuer-
sitate constitutus proprio vocabulo Syndi-
cus, vel Actor appellatur, l. 1. §. Quibus, ff.
Quod cuiusque Vniuersitatis, & c. vn. de
Syndico.

NOTANDVM II. Scholares, ubi id cō-
suetum est, facere possunt inter se Collegi-

um, seu Vniuersitatem, ita vt Rectorem, &
Officiales eligant, atq; statuta condant per-
tinentia ad facultatem suam, attamen hoc
modo, vt superiori Magistratui subiecti, seu
subordinati sint. Ita sumitur ex hoc c. & ex l.
vlt. C. de iurisdic. omn. iudicium, vbi hoc i-
psum traditur de communitatibus opificum
in Rebus publ. approbatis, & videri potest
Bartol. & Abb. hic not. 2.

Contrarium tamen docet Gl. in cit. l. vlt.
Quia Scholares, inquit, professionem non
exercent, sed sub exercentibus sunt discipuli.
Quemadmodum nec opificum discipuli V-
niuersitatem seu Collegium faciunt, sed eo-
rum Magistri. Sed respondet hic Abbas;
Quod etiam ipsi Scholares ad quaedam sua
negotia tractanda conuenire possint, & qui-
busdam locis soleant, ita vt propria & ipsi iu-
ra, statuta, directores, &c. habeant. Imò ait
Accursius in cit. l. 1. ff. Quod cuiusque Vni-
uersitatis, ver. aliorum; si sex studiosi in
vna domo habitent, quod facere possint Col-
legium licitum, ita vt Syndicum ipsis insti-
tuere liceat.

NOTANDVM III. Quae iure commu-
ni concessa sunt, interdum à Principe conce-
duntur ad maiorem confirmationem, & se-
curitatem. Quia concessio specialis pluris
æstimatur, quam generalis. Ita sumitur ex
hoc c. & arnotauit lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 7. ex-
cept. 3.

CAPITVLVM VIII.

Auditis.

PARAPHRASIS.

Controuersiae quaedam erant inter Episco-
pum Egitanensem, & Episcopum Colu-
briensem; quas Papa Iudicibus delegaue-
rat. Sed cum iustitia processus Iudicum
delegatorum in dubium reuocaretur, im-
petrauit Colubriensis Episcopus, vt cau-
sa tota ad Sedem Apostolicam auocare-
tur. Verum cum tota causa processuum
examinata, & conclusa esset, vt nihil re-
staret præter sententiam ferendam, idem
Episcopus Procuratorem, quem pro cau-
sa illa constituerat, non absque Sedis A-

Fffff ; posto-

postolicæ contemptu, & aduersariæ partis dispendio, reuocauit. Sed ea reuocatione non obstante, Honorius III. sententiam tulit processus illos iudicum, & quæ inde secuta fuerunt, irrita pronuntians; insuper Episcopum Colubriensem condemnans in expensis, quos Egitanensis fecit ex eo tempore, quo Procurator reuocationis literas acceperat, & quas idem Episcopus faceret, quoad Colubriensis per se, vel per idoneum Procuratorem adueniet in negotio principali legitime processurus.

S V M M A R I V M.

1. *Citatus ad totam causam censetur contumax, si recedat v. g. Procuratorem reuocando, & alium non submittendo; unde causam iam cognitam & conclusam procedi potest ad sententiam ipso non citato.*
2. *Ab eo tempore, quo pars litigans incipit esse contumax, debet ea aduersario condemnari in expensis, quas morando facere cogitur.*

NOTANDVM I. Qui citatus est ad totam causam, maxime quam ipsemet ad iudicem traxit seu aduocauit, censetur contumax si recedat, v. g. Procuratorem reuocando, & alium non submittendo. Quamobrem, si causa tum cognita & conclusa sit, procedi potest ad sententiam, etiam ipso non citato, propter contumaciam eius. Ita Innoc. hic.

Si quæras: Cur ergo Papa non etiam processit in quæstione principali, non obstante reuocatione Procuratoris? Respondeo: Quia lis super principali quæstione coram Papa nondum contestata erat, ideo vi generalis citationis procedi non poterat, parte absente. Ita Innoc. & Abb. hic n. 8.

NOTANDVM II. Si pars litigans incipiat esse contumax, neque per se, neque per Procuratorem comparendo, ex eo tempore aduersario condemnari debet in expensis, quas morando facere cogitur. Ita Abb. hic n. 10. arg. l. si quis inficiatus, 13. iuncto Bar-

tol. ibid. n. 1. ff. de positi, & habetur in c. cum dilecti, 6. de dolo & contumac.

CAPITVLVM IX.

Petitio.

PARAPHRASIS.

Episcopus Mutinensis è diocæsi discessurus, duos Canonicos Vicarios seu Procuratores generales constituit. Sed cum in iudicio comparerent, exceptum contra ipsos fuit, quod in instrumento procuratorio Syndici, vel actores Episcopi non vocarentur. Respondit Honorius III. exceptionem hanc nullius momenti esse, cum satis ex tenore instrumenti appareat, quod Episcopi intentio fuerit liberam illis pro se in iudicio agendi, ac respondendi dare potestatem.

S V M M A R I V M.

1. *Non est laborandum de verbis instrumenti, aut cuiusque dispositionis, si de mente seu intentione Auctoris constet, nisi certa verborum solemnitas ad aliquem actum requiratur tanquam forma substantiali.*

Cur isti Canonici, constituti vt procuratores Episcopi, à iudicio repellii posse viderentur, hæc erat. Nam Procurator est, qui negotia aliena domini mandato administrat, l. 1. ff. de Procurator. Atqui Episcopus non dominus est bonorum Ecclesie, sed Administrator, & Curator, c. 2. de donat. Ergo is Procuratorem pro causis Ecclesie sue instituere non potest, sed Syndicum, seu Actorem, iuxta l. 1. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis, &c. Confirmatur ex eo, quod neque tutor aut curator ante litem contestationem procuratorem in iudicio constituere possit, l. neque tutores, 11. C. de Procuratorib. Neque Procurator alium Procuratorem ante litem contestationem dare, c. 1. §. licet, eod. tit. in 6. Responderi debet; Tametsi Procurator, si strictè & propriè loquendum sit, ita accipiatur;

piatur, sicuti IC. definiuit; tamen, quia Rectores Ecclesiarum & ciuitatum loco dominorum habeantur, ideo nihil obstat, quin eorum Syndici & actores Procuratores appellentur. Profectò; eum ex verbis instrumenti constat, quòd Episcopus Canonicis generalem, & quidem liberam in iudicio agendi ac respondendi potestatem dare voluerit, nihil interest, vtrum eos Procuratores, an Syndicos appellarit. Vide quæ dixi lib. 3. tr. 4. c. 26. n. 13.

Ad confirmationem dici debet, cum Innoc. hic, n. 2. Abb. 6. sed opponitur contra prædicta, Zabar. in Clem. 3. de Procurator. Quòd maior sit potestas ac liberior administratio Episcopi, alteriusue Prælati, quàm sit potestas aut administratio tutoris, curatoris, procuratoris. Imò generalem regulam tradit Abb. Quòd quilibet beneficiatus aut Rector Ecclesiæ, sicuti per se agere in iudicio potest pro iuribus Ecclesiæ suæ, absque Superioris requisito consensu, ita & procuratorem constituere.

NOTANDVM. Non est laborandum de verbis instrumenti, aut cuiusque dispositionis, si de mente, seu intentione auctoris constat. Consentit c. humanæ; causa 22. q. 5. Ratio est, quæ ibidem indicatur: Cum enim verba instituta sint ad intentionem mentis declarandam, ideo illi accommodari debent, & non intentio verbis. Excipe; Nisi certa verborum solemnitas ad aliquem actum requiratur, tanquam forma substantialis, tum ea non adhibita, etsi constet de loquentis intentione, irritus est actus, arg. c. vn. de potest. Prælat. in 6.

CAPITVLVM X.

Accedens.

PARAPHRASIS.

Nobilis mulier de Massa filio suo (cuius tutor fuit, vt Innoc. hic commentatur) desponsauerat Vbaldi ciuis Pisani filiam; postea cum mulier à promissione nomine filij factam recedere vellet, sub pote-

state ciuis Pisani detenta fuit. Hac recognita, rescripsit Gregor. IX. ad Vbaldum, mulierem illam curet securè deduci ad castrum suum, vt ibi libera existens Procuratorem ad Sedem Apostolicam mittere possit. Et ipse quoque Vbaldus Procuratorem idoneum super causa illa sponsaliorum ad eandem sedem mittat, data ei plena potestate ad agendum, & respondendum.

SUMMARIVM.

1. *Parentes & tutores loco liberorum, aut pupillorum more antiquo sponsalia contrahunt, adolescente tamen & puella liberè consentientibus.*
2. *Pacturus, aut quemcunque actum cum altero instituturus non debet ab eo detineri violenter; aliàs acta rescindi possunt, intentata actione, Quod metus causa.*
3. *Procurator constitutus ad agendum censetur etiam constitutus ad respondendum, si à reo conueniatur.*

NOTANDVM I. Parentes, & tutores loco liberorum, aut pupillorum, quos in potestate, & sub cura sua habebant, secundum antiquum morem sponsalia contrahunt, vt videre est apud Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 1. Requiritur tamen, vt adolescens, & puella, pro quibus sponso fit, liberè consentiant, sicuti dixi lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 13. & tradit Gl. hic, ver. respondendum.

NOTANDVM II. Pacturus, aut quemcunque actum cum altero instituturus non debet ab eo detineri violenter; alioquin quod actum fuit, rescindi poterit, intentata actione. Quod metus causa, iuxta l. Quin in carcerem, 22. ff. Quod metus causa; Vbi Bartolus communiter receptus tradit; quòd iniuste detentus in carcere, vel sub custodibus, sicum detentore contrahat, aut in eius commodum testamentum faciat, per actionem, seu exceptionem *quod metus causa*, se defendere possit, quòd minus acta valeant.

NOTANDVM III. Procurator, qui constituitur ad agendum, censetur etiam constitutus ad respondendum, si à Reo reconueniatur

niatur, uti docet Gl. margin. in l. Mutus. 43. §. poena, ff. de Procuratori. Nam alioquin repelli poterit ab actione, nisi paratus sit, vel etiam promittat (si in procuratorio mandato expressum non sit) dominum suum defendere, seu pro eo respondere, iuxta cit. §. poena, & l. vn. C. de satisfando, & tradit Gl. hic ver. respondendum, Abb. n. 5.

CAPITVLVM XI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Magister Laurentius Parochus Ecclesie de Launa cum studiorum causa (permittente ac dispensante Episcopo, c. cum ex eo, 34. de elect. in 6.) Bononiam profectus esset, Procuratorem generalem ad omnia negotia sua reliquit. Postea Richardus Presbyter in controuersia quadam super eadem Ecclesia literas Apostolicas ad Iudices quosdam impetrauit, quarum vigore Parochus ille ad iudicium citatus est. Cum autem Procurator eius loco comparens dilationem temporis competentis peteret, intra quod dictum Parochum Dominum suum consulere posset, num in iudicio contendere, an liti cedere deberet; iudices illi inducias denegarunt. Quare Procurator ad Sedem Apostolicam appellauit. Ad hanc rescripsit Gregor. IX. si ita sit, ut narratur, omnia quae post interpositam appellationem à iudicibus acta sunt, pro irritis habenda esse.

SUMMARIUM.

1. Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio.
2. Consultum & consuetum est, ut, si fieri possit, prius ipse principalis citetur, & in huius primum defectum Procurator generalis.
3. Procuratori inducia concedenda sunt, si petat ad dominum super re aliqua consulendum, nisi in casu, quo instructus in causa à domino mittendus fuisset.

NOTANDVM I. Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio. Ita notat Gl. hic, ver. generalis, Imola num. 1. ex c. qui generaliter, 5. eod. in 6.

NOTANDVM II. Consultum, & vltimum est, ut, si fieri possit, prius ipsemet dominus seu principalis citetur; in defectum autem domini, eius Procurator generalis. Ita sumitur ex hoc c. verb. eodem Rectore citato, & tradit Gl. in c. 3. ver. ad domum, de dolo & contum. Bartol. in l. 3. n. 2. C. de Procurator. Abb. hic n. 4.

NOTANDVM III. Procuratori induciae concedendae sunt, si eas petat ad dominum super re aliqua consulendum. Quatenus in re ita distinguunt hic Anton. & Imola n. 6. Abb. n. 5. Durand. in Spec. lib. 2. p. 1. de dilation. n. 18. Si dominus citatus fuit, explicata ipsa causa, & inserto libello actoris, tum Procuratori induciae concedi non debent; cum in causa illa instructus à domino mittendus fuisset, arg. c. 2. de dilat. & videri potest Abb. in c. coram, 7. n. 3. de in integr. restit. Praeterquam si aliquid de nouo emerget, ante non praesuisum: Vel si eo deuentur, ut v. g. transigendum sit, quod Procuratori absque mandato speciali concessum non est, c. qui ad agendum, 4. eod. in 6. Sin vero dominus generatim, causa non satis expressa, citatus fuit, ita ut Procuratorem instructum mittere non potuerit, tum induciae ad consulendum dominum Procuratori petenti concedi debent.

CAPITVLVM XII.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Henricum Priorem Sagiensem, & Titum laicum, super quadam pecunia, quam Titus nomine uxoris suae mutuo datam, à Priore repetebat. Hanc causam Gregor. IX. Ottoni Subdiacono suo commisit. Sed Prior ille post libellum sibi oblatum, non accepta à Subdiacono

diacono Auditore licentia, Româ discessit, Procuratorem relinquens, data ei potestate ad agendum duntaxat. Auditor autem ille quia videbat, Procuratorem ratione huius mandati, idoneum non esse ad defendendum, Priorem contumacem esse iudicauit, & partj alteri, præmissa taxatione, ad certam pecuniæ summam ratione expensarum, condemnauit. Quod Auditoris factum Papa postea ratum habuit.

S V M M A R I V M.

1. *Maritus nomine vxoris sua agere potest, ad debitorum solutionem.*
2. *Procurator non habens mandatum sufficiens, perinde censerit debet, ac si nullus sit; unde contra constituentem talem Procuratorem procedi potest tanquam contra contumacem, ita vt parti aduersæ in expensis condemnentur.*
3. *Condemnatio autem in expensas fieri debet præuia taxatione Iudicis, & iuramento partis expensas repetentis.*

NOTANDVM I. Maritus nomine vxoris suæ agere potest, ad debitorum solutionem. Sed distinguendum; quod bona vxoris alia sint dotalia, alia verò paraphernalia: Et hæc duplicis generis, vel enim mariti administrationi commissa, vel non commissa, sed penes vxorem manentia, vt docui lib. 3. tract. 4. c. 13. n. 9. & tradit Abb. hic n. 5. Bartol. & alij Legistæ in l. Maritus, 2. C. de Procurator. Pro bonis dotalibus (vt si vxor marito instrumenta debitorum suorum in dotem dedit) maritus suo nomine agit, cum veluti dominus dotis constante matrimonio reputetur. l. 2. C. de action. & obligat. Similiter quoque maritus agere potest pro bonis paraphernalibus, penes ipsum existentibus, arg. l. vlt. C. de pactis conuentis, vbi DD. aiunt, quod ex traditione paraphernalium, vel instrumentorum eius, facta marito, censetur ei relicta administratio, ita vt tanquam Procurator in iudicio nomine vxoris admittendus sit, tamen non caueat de rato. Denique pro bonis paraphernalibus penes

vxorem existentibus ad agendum maritus admittitur, etiam sine mandato, tanquam persona coniuncta, dummodò caueat de rato, sicuti habetur in cit. l. maritus, & tradit Gl. hic ver. suæ vxoris nomine.

NOTANDVM II. Procurator, qui non habet mandatum sufficiens (v.g. qui à Reo datus est ad agendum duntaxat, & non ad defendendum,) perinde censerit debet, ac si nullus sit, iuxta l. 1. §. Quod si nemo. iun. Gl. ver. inhabilis, ff. quod cuiuscunque Vniuersitatis, &c. Quare contra eum, qui talem Procuratorem dedit, & nec per seipsum compareret, aut, si comparuit, iterum recessit, procedi potest, tanquam contra contumacem, ita vt parti aduersæ in expensas condemnentur, iuxta c. auditis, 8. hoc tit. Addit Innoc. hic n. 3. Ioan. Andr. n. 19. Si Procurator in iudicio datus dominum defendere nolit, principalem in expensis aduersario condemnandum esse; quia sibi imputare debet, quod talem Procuratorem constituerit. Cæterum aduersus Procuratorem actione mandati agere poterit principalis, deinde quatenus suæ interest, causam in iudicio defensam non fuisse.

NOTANDVM III. Condemnatio in expensas fieri debet præcedente Iudicis taxatione; quin & iuramento partis, quæ expensas repetit, vt Gl. hic docet, ver. taxatione; arg. c. vlt. de ijs quæ vi &c.

CAPITVLVM XIII.

Mandato.

PARAPHRASIS.

Si dominus Procuratorem ad iudicia constitutum, ignorante aduersario, vel iudice post litem contestatam reuocauit, acta cum Procuratore reuocato valent.

S V M M A R I V M.

1. *Acta cum Procuratore reuocato irrita sunt, si reuocatio vel Aduersario, vel Iudici intimata est.*

Ggggg

2.V9

2. *Ut acta iudicij firma sint, debet reuocatio Procuratoris facta fuisse, postquam eius constitutio intimata fuit Iudici, vel Aduersario, seu extra iudicium, seu apud acta iudicij, seu per ipsam litem contestationem. Irrita acta iudicari debent, si constitutus & reuocatus sit Procurator, antequam eius constitutio parti, vel iudici sit insinuata.*
3. *Procurator post litem contestationem reuocari non potest, nisi causa prius cognita.*
4. *Morte mandantis, re adhuc inter partes integra, scilicet ante litem contestationem, expirat Procuratoris potestas ac mandatum: nisi reus pro Procuratore seu defensore suo sciente extra vel intra iudicium fidei iusserit iudicatum solui.*
5. *Morte mandantis post litem contestationem non expirat potestas & mandatum Procuratoris, nisi hic constitutus sit in causa ecclesie aut beneficii à Rectore ecclesie, vel alio beneficiario; tunc enim etiam post litem contestationem expirat.*
6. *Procurator constitutus à solo Prelato ad negotium, quod sede vacante expediri potest à Capitulo, post mortem Prelati confirmari debet à Capitulo, nisi eum amandare malit, secus est, si à Prelato una cum Capitulo constitutus sit; tunc enim mortuo Prelato non expirat mandatum Procuratoris.*

Circa hunc textum, in primis aduertit Gl. fin. copulam vel copulationem accipiendam esse, ut sensus sit, si tam aduersario, quam iudice ignorante, &c. Ita enim colligitur ex l. si Procuratorem, 65. ff. de Procurator. l. vn. C. de fatidando, c. ex insinuatione, 3. supra, hoc tit. c. ex parte, 33. de rescrip.

Quare regula hæc notanda: Acta cum Procuratore reuocato irrita sunt, si vel Aduersario vel Iudici reuocatio intimata est: sin autem neutri intimata, valent. Nota, quod dico *intimata*. Quia non sufficit reuocationem aliunde innotescere: sed necesse est, ut ipse qui Procuratorem constituit, iudici vel aduersario reuocationem eius significet, uti

hic notat Ioan. Andr. in Gl. 2. Abb. in fine huius c. & in simili docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 30. n. 12.

Ratio reddi debet: Quia si semel Procurator datus iudici, vel parti aduersariæ intimatus est, tum eorum interest, ut reuocatio mandati procuratorij non fiat, nisi & ea ipsi intimetur; ne alioquin frustra in iudicio fatigentur. Tametsi verò consultum sit, ut vtrique tam aduersario quam Iudici intimetur, habebit tamen effectum reuocatio, si vel soli aduersario fiat; quia ex eo tempore non poterit aduersarius contendere cum Procuratore, quem falsum seu reuocatum esse nouit: Aut si soli Iudici fiat, cum ex eo tempore processus & acta nullitatis argui possint, iuxta c. 1. hoc tit. Sed antequam intimatum illis est procuratorium mandatum, sufficit reuocationem mandati innotescere Procuratori, quippe cum quo solo actum fuerat. Ita colligitur ex cit. l. si Procuratorem, & cit. l. vn.

In tradita doctrina consentiunt DD. Nisi quod aliqui existimant; Si reuocatio mandati procuratorij aduersario, non item iudici intimata sit, acta & sententiam secutam ipso iure valere, quamuis per exceptionem rescindi possit Iudicis officio; ne aduersarius ex propria deceptione commodum ferat. Ita Gl. in cit. l. vn. ibid. Bartol. n. 12. Ioan. Andr. c. ex insinuatione, n. 5. hoc tit. Quibus contradicit Gl. hic. & Abb. n. 5. arg. c. ex parte, 33. de rescriptis.

Maius dubium est. Vtrum acta iudicij valere debeant, si reuocatio Procuratoris iudice & aduersario ignorante facta fuit ante litem contestationem. Glossa fin. hæc affirmat. Sed obstare videtur textus huius c. faciens mentionem litem contestatam; quasi aliter sciendum sit, si Procuratoris reuocatio ante litem contestationem facta fuerit. Arbitror respondendum, ex cit. l. si Procuratorem, 65. ff. hoc tit. & l. vn. C. de fatidando; Id solum requiri, ut acta iudicij firma sint, quod reuocatio Procuratoris facta fuerit, posteaquam eius constitutio intimata fuit Iudici, vel aduersario; seu extra iudicium, seu apud acta iudicij, seu per ipsam litem contestationem.

qui, tanquam apertissimus modus intimationis affertur in isto c. Sin autem Procurator constitutus, atque etiam reuocatus sit, antequam eius constitutio parti, vel iudici infinuata; tum absolute loquendo, Procurator falsus censetur, ut quæcunque cum ipso acta fuerint, irrita iudicari debeant, iuxta c. ex infinuacione, 3. hoc tit.

Exinde intelligitur doctrina Bartoli in cit. l. vn. not. 2. Abb. hinc n. 5. Si Procurator generalis constitutus sit, atque orta aliqua controuersia eidem inhibita, ne causam hanc suscipiat, eius se immisceat, opus non esse, ut hæc specifica reuocatio Aduersario, vel Iudici intimetur: Excepto, si aliquis certo loco, aut negotiorum generi aliquem præferat ad omnia sua negotia Procuratorem, seu actorem, ut etiam dixi in c. ex parte, 3. de rescript.

Restant qq. Prima. Vtrum Procurator post litem contestationem, etiam inuitus, reuocari possit. Respondeo; De hoc extare l. post litem, 17. & l. quæ omnia, 25. ff. de Procurator. Quod reuocari non possit, nisi causa prius cognita: Cum ex eotempore tum aduersarij, tum ipsius Procuratoris (quippe qui dominus litem factus est, l. Procuratoribus, 2. C. de Procurator.) inter sit, ne temere reuocetur. Videri potest Gl. in l. ante litem, 16. ff. eod. Bartol. in cit. l. post litem, Imola hinc. 6. Zabarella in Clem. vlt. de Procurator. col. 2. vbi dicunt ex ll. allegatis, quod Procurator, postquam reuocatus est, se ingerere non debeat, quia suspectum se redderet: possit tamen petere, ut causa reuocandi, iustane sit, cognoscatur, pro defensione famæ suæ.

Altera. Quid operetur tacita reuocatio Procuratoris, quæ sit per mortem mandantis? Respondeo, & dico I. Si is, qui Procuratorem constituit, re adhuc inter partes integrâ, videl. ante litem contestationem moriatur, expirat Procuratoris potestas, ac mandatum. Ita sumitur ex l. penult. ff. quæ sententia sine appellat. & l. de qua re, 74. §. cum absentem, ff. de iudic. & docet Bartol. in cit. l. si Procuratorem, Abb. hinc, n. 6. Excipe: Si reus pro procuratore seu defensore suo id

sciente extra, vel intra iudicium fideiussit iudicatum solui, iuxta §. Si verò aliquis, Inst. de satisfat. tam Procurator non obstantem morte domini, ad iudicium accipiendum compellendus est, l. si defunctus, 15. de Procurat. & notant Bartol. Abb. ll. cc. Zabar. cit. Clem. vlt.

Dico II. Si dominus post litem contestationem moriatur, non expirat potestas & mandatum Procuratoris, cum transeat obligatio ad hæredem domini. Ita Gl. communiter recepta cit. Clem. vlt. ver. pro Ecclesia. Quia mandatum morte mandantis non expirat, se res integra non sit, uti docent DD. in l. mandatum, 15. C. Mandati, & §. Rectè, Inst. vbi videri potest Angelus Aretinus, col. 1. qui optimè explicat, quando res integra esse desinat, videl. in iurisdictione demandata, si citatio facta sit, uti dixi in c. gratum, 20. de offic. deleg. In procuratorio verò mandato ad iudicia, si litem contestatio facta sit, arg. cit. Clem. vlt. de Procurat. & tradit Gl. communiter recepta in cit. l. mandatum. Vel si ante litem contestationem Reus pro Procuratore suo sciente, ac volente satisfecerit, ut supra dictum. In procuratorio verò mandato ad negotia sufficit, si præparaciones necessariæ factæ iam sint.

Excipi debet: Quod per mortem Prælati, aut Rectoris Ecclesiæ, alteriusue beneficiati, potestas ac mandatum Procuratoris ab illo constituti in causa ecclesiæ, aut beneficij, reuocatum ceaseatur, tamen si litem contestata fuerit. Ita specialiter, & expressè in cit. Clem. vlt. Rationem huius constit. affert Gl. ver. reuocari: Quia sede vacante, cum Ecclesia tunc defensore careat, iudicium de bonis aut iuribus eius agitari non debet, c. 1. Ne sede vacante, & dixi lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 12. Verum hæc ratio non videtur esse adæquata; cum in dicta Clement. idem statutum sit de Procuratore ad negotia, quod eius mandatum expiret, mortuo Prælato Ecclesiæ, tamen si negotia cœpta sint. Generalior itaque ratio dari debet ex Zabar. in cit. Clem. q. 3. ratione 4. Gl. hinc, ver. Contestata. Cum enim Procurator loco, ac vice domini, seu constituentis agat, ideo si potestas constitu-

Non iniuste.

PARAPHRASIS.

Tria hic respondet Gregor. IX. I. Filiusfam. potest constitui Procurator, non tantum ad lites exortas, sed etiam ad futuras. II. Filiusfam. sicuti & quilibet alius, si simul cum alio, vel pluribus, aut Procurator in solidum datus fuit, præoccupando negotium antefertur, ut etiam habetur in c. si duo, 6. eod. in 6. & l. pluribus, 3 2. ff. eod. Sin verò diuersis temporibus dati sint Procuratores, tum per posterioris constitutionem prioris procuratio reuocata censetur. III. Procurator à sententia contra ipsum lata, si expedire videatur, appellare debet; aut, si iusta causa impediatur, domino intimare, ut appellet. Cæterum ipse Procurator, si nolit, appellationem prosequi non cogitur.

SUMMARIUM.

1. Filiusfamilias si maior natu sit, Procurator constitui potest, etiam non requisito patris consensu.
2. Procurator etiam ad futuram, & nondum exortam litem constitui potest.
3. Post unum Procuratorem datum constituens alium, priorem reuocat, nisi unum sit generalis, & aliter specialis.
4. Procurator contra latam sententiam appellare potest, & plerumq; debet.

NOTANDVM I. Filiusfamilias si maior natu sit, Procurator constitui potest, etiam non requisito patris consensu, l. filiusfam. 8. iun. Gl. margin. ff. de Procuratoribus, & expressius in c. qui generaliter, 5. §. nedum, eod. tit. in 6. Ratio reddi debet: Quia filiusfam. etiam sine patris auctoritate contrahendo, videl. mandatum suscipiendo, satisfacendo in iudicio, &c. obligari potest, vt dixi lib. 3. tr. 4. c. 8. assert. 2.

No-

entis omnino extincta sit, seu non perseueret, tum etiam Procuratoris potestas ac mandatum extingui debet, sicuti hoc idem similitudine de Vicario, & quouis substituto docui in c. 1. de offic. Vicarij, in 6. Atqui mortuo Prælato, seu vacante sede ius prælaturæ expirauit; cum non transeat ad aliquem tanquam successorem, qui eadem cum defuncto persona censeatur, sicuti hæres cum persona defuncti. Ergo per mortem Prælati, aut beneficiati constituentis Procuratorem super iuribus aut bonis Ecclesiæ, vel beneficij, mandatū procuratorium extinguitur. Quã obrem generatim etiam dictum est in c. de cetero, & c. super eo, quod beneficiatus super iure beneficiati pacisci non possit vltra tempus vitæ, neque successorem in beneficio obligare.

- 6 Corollarium. Si negotium, ad quod Procurator constitutus fuerat, tale sit, vt sede vacante expediri possit à Capitulo; tum distinguendum est, vtrum solus Prælati v. g. Episcopus Procuratorem constituerit super bonis pertinentibus ad mensam suam, distinctam à mensa Capitulari; hoc casu post mortem Prælati Capitulum, quod in administratione succedit, confirmare debet mandatum Procuratoris, nisi eum amandare malit, sicuti de potestate Vicarij dictum fuit cit. c. An verò Procurator à Prælato vnà cum Capitulo constitutus sit ad gerenda negotia communia; tum mortuo Prælato non expirat mandatū Procuratoris. Cum enim à Capitulo etiam constitutus sit, sufficit eius auctoritas ad sustinendum mandatum procuratorium, sicuti Gl. hic tradit ver. reuocari, Zab. q. 7. Nihil obstante, quod fortasse omnes Capitulares, à quibus constitutus est Procurator, alijs postea subrogatis mortui fuerint: cum non à singulis, sed à Collegio seu Vniuersitate mandatum acceperit, vt notat

Gl. margin. in cit. Clem.

vlt.



CAPITVLVM VI.

Consulti.

PARAPHRASIS.

Procurator ad impetrandum rescriptum constitutus erat ab aliqua Communitate, cuius maiores seu senatores iurati, per quos Communitas illa regebatur, excommunicati erant, eo tempore, quo procuratoris officium iniunctum fuit; quæritur, vtrum Procurator per exceptionem repelli possit, tanquam constitutus ab excommunicatis. Respondet Gregorius IX. Non esse repellendum; exceptis tribus casibus: I. Nisi excommunicati in literis procurationis expressi fuerint. II. Nisi aliàs eorundem excommunicatorum auctoritate Procuratoris institutio facta sit. III. Nisi Communitas sciens illos esse excommunicatos, vnà cum ipsis Procuratorem constituerint.

SUMMARIVM.

1. *Excommunicatus vti per seipsum rescriptum papale impetrare non potest, neque in iudicio agere; ita neque prestare ea potest per procuratorem.*
2. *Pralato v.g. Episcopo in excommunicatione lapsò, eo tempore suspensum est officium procuratoris, perinde ac Vicarij generalis.*
3. *Actus gestus ab Vniuersitate seu auctoritate illius non ideo vitantur, quòd aliqui inter eos (licet Praefecti vrbis, Consulesque sint) inhabiles existant, videl. excommunicati, nisi hi in procuratorio sint expressi, vel eorum auctoritate actus reuera geratur, vel ad eum gerendum scienter sint admissi.*

NOTANDVM I. Sicut excommunicatus per seipsum rescriptum Papale impetrare non potest, c. 1. de rescript. Sed neque in iudicio agere, vti habetur in c. discernimus, de sent. excommun. Ita neque prestare ea per procuratorem.

GGGGG } Corol-

NOTANDVM II. Procurator etiam ad futuras seu nondum exortam litem constitui potest; iuxta l. 3. ff. eod. Quare annotauit Durandus tit. de Procuratoribus, §. 3. n. 9. verſ. *Sed quid si procuratorium*; Si procurator generatim ad iudicia constitutus sit, extendendum esse procuratorium etiam ad lites futuras. Quia propositio indefinita in materia non odiosa accipitur pro vniuersali, arg. c. quia circa, 2. de priuileg. Et sic non obstat c. vlt. de rescriptis; Quia vt ibi dixi, rescripta ad lites, tanquam odiosa, strictam interpretationem habere debent.

NOTANDVM III. Qui post vnum procuratorem datum, alium constituit, priorem tacite reuocare censetur, l. si quis, 3. §. Iulianus, iun. Gl. ver. videri, ff. eod. & videri debent, quæ dixi in c. volentes, de offic. Legati. Excipe: Nisi vnus sit procurator generalis, alter specialis, seu in certa causa. Nam in hoc casu specialis commissio non derogat generali; sed ordinem præscribit, vt prior admittatur specialis, & in eius defectu generalis, secundum doctrinam Bald. in l. 2. n. 7. verſ. de vno quæro, C. si fiscus, vel priuatus, ex l. quoniam, C. de conueniendis fisci debitoribus, lib. 1. o. Nota hic obiter Si duo sint tutores, aut duo executores testamenti, vnus ab altero debitum exigere potest, licet simpliciter, & non in solidum (id est, vt vnus etiam seorsim sine altero) constituti sint. Cuius ratio est: Quia his casibus dominus ipse exigere non potest: Ergo propter necessitatē fallit hic regula, quòd vnus sine altero agere nil possit. Abb. hinc. n. 8.

NOTANDVM IV. Procurator datus ad litem, contra latam sententiã appellare potest, & plerumque debet: Imò & appellationem, vigore prioris mandati procuratorij, prosequi non prohibetur: non tamen ad id obligatur; dummodò domino maturè denuntiet, vt ipse prosequi possit, l. inuitus, 17. iun. Gl. C. de procur. Excipe cum Abb. hinc. 13. Nisi sit procurator generalis, seu datus ad omnes causas, tunc appellationem prosequi obligatus est; cum & causa appellationis iudicialis sit,

2 Corollarium: Si Prælati, v. g. Episcopus, in excommunicationem lapsus sit, eo tempore suspensum est officium procuratoris, perinde vt Vicarij generalis, iuxta c. 1. de offic. Vicarij, in 6. Et ita docet Gl. fin. in Clem. vlt. de Procurator. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 14.

3 NOTANDVM I. Actus gestus ab Vniuersitate, seu auctoritate Vniuersitatis, non ideo vitiat, quod aliqui inter eos (tamen si maiores sint, seu Officiales prædentes, videl. Præfecti Vrbs, Consules) inhabiles existant, videl. excommunicati. Ratio est: Quia cum inhabiles illi priuati sint, ius totum Vniuersitatis penes alios non priuatos residet, tamen vnicus tantum esset, arg. c. 2. de postul. Prælatorum, & l. sicut, 7. Quod cuiuscunque Vniuersitatis, vbi & ratio assignatur; Quia quæ geruntur ab Vniuersitate, non geruntur à singulis: ergo tamen si aliqui decedant, aut priuati sint, ius totum Vniuersitatis in vnico conseruari potest. Alia verò ratio est, si quid agatur à pluribus, vt singuli sunt, v. g. si plures Iudices delegati simul sententiam dicant, & vnus eorum excommunicatus sit, sententia irrita est, arg. gum. c. cum super, 23. de offic. delegati, & l. Pedius, 7. §. Vnde, ff. de receptis arbitris, & tradit hic Abb. n. 4.

Excipiendum est primò: Nisi inhabiles, v. g. excommunicati in constitutione actus exprimentur: v. g. Nos Consul, Camerarius, Senatores & tota Communitas decernimus, constituimus, &c. tum videtur actus irritus, si Consul, v. g. aut Camerarius excommunicatus sit, esto alij habiles illius inhabilitatem ignorent. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. ver. expressi, Imola n. 9. Abb. n. 7. Quia actus talis, videl. decretum, aut procuratoris constitutio fit auctoritate consulis, & Camerarij: Fit enim auctoritate Collegij seu Vniuersitatis, quatenus eius pars, & quidem primaria est etiam Consul, aut Camerarius.

Corollarium. Si Decanus, aut senior excommunicatus electionem Capitularem hoc modo formet, *Ego, & omnes mihi consen-*

ientes eligo Titium, talis electio impugnari potest, tanquam facta ab excommunicato. Quia reuera hæc electio facta fuit à Capitulo, quatenus etiam Decanum comprehendit, vt ex forma apparet. Neque refert, quod alij Capitulares habiles etiam sine Decano electionem promulgare; aut alij Senatores sine Camerario v. g. decretum constituere potuissent. Tamen enim potuissent, tamen noluerunt, seu non fecerunt: Ergo dicere hoc casu licet, sicut in cit. c. cum super. Quod potuerunt, id noluerunt; quod autem voluerunt, id non potuerunt.

Alia verò ratio est, si alij quidam in seruitio Decano consenserant, qui excommunicati erant: eorum inhabilitas non officit electioni: cum per particulam, & *alij mihi consentientes*, non censeantur comprehendi in habiles & priuati, sed habiles tantum. Idemque similiter dicendum, si aliqui ex senatoribus, nominatim non expressi in decreto, excommunicati, aliterque inhabiles existant.

Excipiendum secundo: Si actus reuera geratur auctoritate excommunicati, tamen persona eius non exprimat: Vt si decretum communis valere non possit sine assensu Consulis, aut subscriptione Camerarij; quippe cum re ipsa ab eorum auctoritate procedat. Ita colligitur ex hoc c. & docet Gl. ver. expressi.

Excipiendum tertio: Si habiles scienter admiserunt inhabiles ad actum, v. g. ad procuratoris constitutionem Prælati, electionem peragenda, decretum faciendum, Etenim hoc casu censentur velle actum peragere vnà cum inhabilibus. Nisi contrarium protestentur expressè, si inhabiles comòde repellere non possint. Nisi malis disgere, id decretum esse in pœnam seu odium admittentium inhabilem; ideoque actum hoc casu validum esse, donec rescindatur, vt docet in qq. de elect.

q. 26.

**

CAP.

CAPITVLVM I. eod.

Tit. in 6.

Non indiscretè.

PARAPHRASIS.

Laicus à Iudice admitti potest vt procurator ad agendum, & defendendum in causis spiritualibus: cùm nullus Ecclesiasticus canon prohibeat.

SUMMARIVM.

1. Laicus in causis ecclesiasticis Iudex esse nequit, potest tamen esse procurator.
2. In materia communiter concessa hoc ipso, quod aliquod genus personarum non est prohibitum in iure, censeri debet admissum.
3. Procurator in rem suam datus alium procuratorem etiam ante litis contestationem substituere potest.
4. Et hic iussu aut voluntate domini substituitur, potius domini, quam substituentis procuratoris procurator esse censetur.
5. Procurator generalis ad negotia datus alium cum simili potestate constituere nequit; potest autem specialis, nisi industria persona electa sit.

NOTANDVM I. Licet laicus in causis ecclesiasticis Iudex esse nequeat, c. 2. de iudicijs. potest tamen esse procurator. Ratio discriminis est: Quia in Iudice fundata esse debet potestas & iurisdictio, quæ si Ecclesiastica sit, non cadit in laicum: At verò procuratoris potestas magis vicaria est, quia non suo, sed alieno nomine agit, ac defendit. Et addendum cum Petr. Ancharano hic not. 2. Bartol. in l. quod possessio, 49. §. Et si possessio, n. 2. ff. de acquir. possess. Quòd procurator in causis spiritualibus nudum omnino ministerium exhibeat, ita vt nullum ius in eo radicetur, sed recta via absque cessione transeat ad principalem. Eademque ratione tradit hic Gloss. mar-

gin. Quòd laicus à clerico constitui possit procurator ad renuntiandum beneficio, item ad acceptandum beneficium ipsius nomine, iuxta c. accedens, 24. de præbendis.

NOTANDVM II. In materia communiter concessa, cuiusmodi est officium procuratoris, hoc ipso quòd aliquod personarum genus in iure prohibitum non reperitur, censeri debet admissum.

§. Licet.

PARAPHRASIS.

Procurator alium loco suo procuratorem substituere potest, lite iam contestata; cùm dominus litis effectus sit. Sed ante litis contestationem substituere alium nequit, nisi in rem suam procuratori datus sit; Vel nisi substituendi à domino (quamuis nulla nominata certa persona) potestatem acceperit.

PRo intellectu huius §. aduerte primò; Quòd per litis contestationem partes quasi contractū ineant, ac mutuam obligationem, iuxta l. 3. §. idem scribit, iun. Gl. margin. Atque ita quidem, vt directæ obligationes & actiones ordinariè tédant in ipsum procuratorem, seu ad negotia; seu ad iudicia constitutus sit; quas deinde actiones mandanti cedere debet procurator, vt dixi lib. 3. Th. mor. tr. 4. c. 26. n. 14. Et ob hanc causam procurator per litis contestationem dominus litis effectus censetur, ad eò, vt reuocari deinde non possit, nisi causa prius cognita sit, vt supra dictum: Item, vt alium loco suo substituere possit, vt hic dicitur, & habetur in l. quod quis, 8. l. neque, C. de Procur. Præterea, vt si post litem contestatam ad testes v. g. producendum pars litigans citanda sit; non ad principalem, sed ad procuratorem citatio dirigi debeat, sicuti ex communi notat Ancharan. in c. seq. not. 6. Denique vt sententia condemnatoria in ipsum procuratorem, non in dominum concipi debeat, secundum ciuilem iuris subtilitates, vt videre licet in l. 1. C. de sentent. & interlocut. omnium Iudicum, & consensit c. penult. iun. Gl. ver. ipsum. extra, hoc cit.

tit. Tamen si id, præsertim in foro Canonico, non semper obseruetur, sicuti dixi supra cit. n. 14.

3 Aduerte secundò; Procuratorem in rem suam, seu in proprium commodum dari, cum ipsi actiones & iura ceduntur, vt pro se in iudicio exigere possit. Exemplum dat Glos. fa: Si pater filio suo, aut alteri personæ cedat iura & debita sua iuxta l. illam, 33. C. de donat. is cessionarius directas actiones (quippe quæ à contrahentium ossibus auelli non possunt) exercebit nomine cedentis; vtiles autem seu cessas nomine suo, seu in propriam vtilitatē. Et talis in rem suam datus procurator alium etiam ante litis contestationem substituere potest. Verùm non aberrabit, qui dixerit, hunc propriè procuratorem non esse; cum non tam aliena, quàm propria negotia tractet, sicuti notauit hic Petr. Ancharan. not. 4 Gl. in supra cit. l. 1. ver. aliena.

4 Aduerte tertio: Si Procurator ante litis contestationem iussu, aut voluntate domini procuratorem alium substituit, is domini potius, quàm substituentis procuratoris procurator esse censetur, sicuti Gl. hic annotauit ver. substituendi, ex l. Item, 6. §. Si decuriones, ff. Quod cuiuscunque Vniuersitatis. l. 2. ff. de Procurator. vbi dicitur, quod procurator certus esse debeat; Siquidem in hoc certus redditur, per substituentis deputationem.

Eademque ratione docet Bartol. in l. quidam 6. n. 7. ff. de rebus dubijs: Quod testamentarius executor incertus, certificandus tamen à Titio, vel futuro aliquo euentu, institui possit: v. g. Relinquo executorem Præfectum Xerodochij, qui tempore mortis meæ fuerit: Vel, Eum quem Titius frater meus nominauerit. Cuius contrarium aliqui docent apud Ancharan. hic §. sed nunquid: cum neque tutor ita institui possit, vt DD. communiter fatentur ex l. tutor incertus 20. ff. de testam. tutela. Sed respondet Bartol. id specialiter statutum esse filiorum fauore, vt pater ipsemet tutorem eis deligere ac nominare deberet. Sed cum pro-

curatorem, vel hæreditatis suæ executorem aliquis constituit, de ipsius constituentis bonis agitur, ac proinde maiore disponendi libertate gaudere debet.

§. Procurator.

Procurator ad negotia datus liberè, quando-
cunq; vult, procuratorem alium deputare potest.

Sed pro declaratione huius §. distinguendum. Num procurator sit generalis, an specialis, seu ad certam causam datus. Generalis procurator alium cum simili generali potestate constituere nequit, sed vnam, vel plures causas particulares delegare potest, l. 1. §. Magistrum autem, ff. de exercitatoria act. Specialis autem procurator negotium sibi demandatum alteri committere potest, l. si procuratorem, 8. §. Si quis mandauerit, ff. mandati, l. si ego, ff. Quod vi, aut clam. Nisi personæ industria electa esse censetur, tum alteri committere non potest, argum. c. vlt. hoc lib. & tit. & c. is cui, 12. de offic. delegati. & docet Bartolus communiter receptus in l. penult. ff. de diuers. & temporal. præscript.

CAPITVLVM II.

Quamuis.

SVMMARIVM.

1. Procurator ante litis contestationem etiam sine causa remoueri potest.
2. Præter alias tamen expensas etiam salarium ei præstandum erit.
3. Post litis contestationem neque ipse procurator recedere potest.
4. Dominus vnà cum procuratore potest adesse causæ, maximè si de collusionem timeat.
5. Et si dominus ante latam sententiam moriatur, mandatum procuratori & litis instantia non finitur.

Ante

Ante litem contestationem dominus Procuratorem (nisi in rem suam datus sit) liberè reuocare potest; non item post litem contestatam, nisi rationabilis reuocandi causa subsit, vt quia inimicus domini redditus, vel alia ratione suspectus est, aut aduersarij affinis, vel hæres factus; item si eum Religionè ingredi, in longinquas terras abire, ægritudine aut vinculis detineri contingat. Consentit l. ante litem, 17. & seqq. ff. de Procurator. & l. procuratoribus, 22. C. eod. Veruntamen procurator, si domino, etiam post litem contestationem remouere volenti, resistat, & operam suam inuito ingerat, eo ipso suspectum se reddet. Quare ad hoc tantum petere potest, vt causa remotionis cognoscatur, vt famam suam illæsam cõseruet, l. quæ omnia, 25. ff. eod. Quòd si verò aduersarius, quocum lis contestata vel aliter inchoata est, procuratorem mutari nolit, tum causa cognoscenda erit ad hoc, vt appareat, remoueri procurator debeat, necne, sicuti Gl. docet, ver. suspectum,

Porrò si procurator absque culpa sua remoueat, præter alias expensas etiam salarium præstandum esse, docet Bartol. in l. post litem, ff. eod.

Corollarium. Neque ipsemet procurator recedere potest post litem contestationem, nisi necessarium impedimentum accidat, sicuti notat Gl. Ioann. Andr. in c. seq. ver. suspectum. Sed ante litem contestationem, ad eoque dum res integra est, procuratorem resignare potest: nisi reus pro procuratore sciente & non contradicente satis dederit, seu fideiussert iudicatum solui, tunc cogitur procurator ad iudicium accipiendum, seu litem contestandam, l. si defunctus, 15. ff. eod.

Porrò quomodo iudicij instantia, seu litem prosecutio, à procuratore, quocum lis contestata erat, in nouum procuratorem, vel ipsum dominum per se agere volentem transferri possit, explicat Bartol. in l. mutari, 24. ff. eod. Ancharan. hic not. 3. Videlicet vt noua litem contestatio fiat, secundum Gl. margin. cit. l. mutari. Vel vt procuratorius instantiæ alteri cedat, l. in causæ, 26. §. Si ex parte, iun. Gl. margin. ff. eod.

§. Verùm.

Tamet si procurator, quocum lis contestata est, non remoueat, potest tamen ipse dominus vnà cum procuratore iudicio adesse, præsertim si collusionem aliquam fieri suspicetur. Quærit Gl. hic, ver. adesse: Ad quidnam profit domino, si in iudicio cum procuratore adsit. Respondet, Quia testes, & probationes adducere poterit, quas procurator omitteret: Vel ipsemet procurator testes & probationes, quas dominus volet, exactè produci curabit. Vide Baldum in supra cit. l. procuratoribus.

QUÆRIBS denique: Quid si dominus ante latam sententiam moriatur, finiturne mandatum procuratoris: aut, si non finitur, cuius vicem seu locum ille gerit? Respondeo ex l. nulla, 23. C. eod. Per mortem domini, procuratoris mandatum, & litem instantiam non finiri. Quare si sententia contra eum formanda erit, tanquam contra procuratorem hæredis, formanda erit, sicuti Baldus monet cit. l. nulla, n. 5.

CAPITVLVM III.

Is qui.

Procurator qui per facultatem à domino acceptam alium sibi substituit, reuocare non potest substitutum, postquam is mandatum suscepit. Præterquam si procurator etiam reuocandi potestatem à domino acceperit. Tamet si aliud dicendum sit de delegato Sedis Apostolicæ; quippe qui causam à subdelegato arbitrato suo reuocare potest, si res adhuc integra sit, c. quamuis, 6. de offic. delegati, in 6.

Rationem discriminis inter procuratorem & delegatum Sedis Apostolicæ dare possumus ex doctrina Laurentij apud Zabarell. in Clem. vii. col. 5. de Procur. Quia delegatus potestatem subdelegandi habet à lege. At verò procurator ad lites substituendi facultatè à lege non habet, ante litem contestationem, sed eam ab homine accipit. Quamobrè, si solum substituendi, non etiam substitutum

Hh hhh reuo-

reuocandi à domino facultatem acceperit, posteaquam substituit, officio suo functus censetur.

Quamobrem hoc c. locum non habet, si Procurator post litem contestationem alium iure suo substituat, iuxta c. 1. §. licet, hoc lib. & tit. Nam eodem iure reuocare eum, atque causam reassumere poterit, si res integra sit, seu iudicium necdum in eum transfatum: At verò post litem contestationem, aut aliter iudicio cepto per institutum, reuocare eum potest, causa reuocationis prius cognita, sicuti dictum est supra c. 2.

s. Verum.

SI procurator ad causas plures vel omnes constitutus in vna earum alterum substituerit, in alijs causis procuratoris officium exercere non prohibetur. Ratio est manifesta; quia tamen si substituat sibi procuratorem in vna causa, retinet tamen potestatem, nec est functus officio suo in alijs causis.

CAPITVLVM IV.

Qui ad agendum.

PROcurator generalis, tamen si cum clausula constitutus sit, vt omnia expedire possit, etiam si speciale mandatum exigant, ex vi huius generalitatis admitti non debet ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum requiritur.

Ratio reddi debet: Quia hoc ipso quòd iura ad quaedam præstanda speciale mandatum exigunt, non sufficit commissio generalis, & non specificata. in c. vlt. q. vlt. de offic. Vicarij in 6.

s. Sed si aliquis.

SI in procuratorio mandato vnus vel plures articuli ex ijs, qui speciale mandatum requirunt, expressi sint, adiecta clausula generali, tunc etiam ad casus non expressos procurator admittendus est.

Exemplum est: Si constitui procuratorem ad iudicia, data ei plena potestate, ita

vt etiam transigere possit, & alia omnia præstare, quæ mandatum speciale exigunt, hoc casu admittendus etiam est, si iuramentum parti aduersariæ deferre velit. Sed declarandum, ac limitandum est primò, Quòd clausula illa, & alia, extenditur tantum ad similia & minora, non item ad maiora expressis. iuxta c. Sedes, l. 5. de rescriptis, & habetur expressè in Clem. 2. hoc tit. Si procurator constitutus sit ad agendum, & defendendum, atque iurandum de calumnia, & alia omnia agendi, quæ speciale mandatum requirant, quòd vi huius mandati electo, contra quem in iudicio agit, obijcere non possit crimina seu defectus, vt quòd sit homicida & irregularis. Quia causa ista grauior est, quàm sit facultas de calumnia iurandi in animam domini, c. vlt. de iuram. calumniæ, in 6.

Declarandum est secundò, Quòd expressio articuli specialis fieri debeat per modum permissionis, vt in proposito exemplo: Non autem per modum exceptionis: v. g. Constituo Titium procuratorem generaliter ad omnia, excepto quòd transigere non possit; vi huius excipientis particulæ, (quippe quæ nõ augendi, sed diminuendi causa apposita censetur) alia similia efficere non potest, vti Gl. margin. hic monet, & docuit. c. vlt. q. 3.

s. Procurator.

NON potest procurator absque mandato speciali iuramentum aduersario deferre ad litem decisionem, nec transigere, aut pacisci: nisi bonorum, vel causæ libera administratio ipsi commissa sit.

Pro intellectu aduerte, Quòd Procuratoris officium, cum species mandati sit, ad plura se nõ extendat, quàm iussum fuerit, iuxta l. diligenter, mandati. Quare si procurator ad lites constitutus sit, agere ac defendere potest, sicuti litem instantia exigit. At verò pacisci, transigere, vel compromittere non potest, cum hæc ad iudicia per se non pertineant. At verò administrator bonorum, seu iurium, si cum libera seu plena potestate da-

tus sit, ea quæ dicta sunt, præstare potest, uti dixi in c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6. & in c. contingit, 3. in fine, extrâ de transact. & docet Bartolus in l. mandato, 60. ff. de procurat. Quare procurator ad lites, cui insuper libera causæ administratio commissa est, transigere etiam aut compromittere poterit, uti etiam indicatur in l. procurator cui, 58. ff. eod.

Similiter dicendum de procuratore ad negotia generaliter constituto, quod alienare & transigere absque speciali mandato non possit, ut hoc c. indicatur, & habetur in cit. l. mandato, & l. procurator totorum, 63. ff. eod. Si autem libera bonorum administratio data sit, tum omnia facere potest, præterquam quod donare non possit, uti dixi in cit. c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6.

CAPITVLVM V.

Qui generaliter.

Qui procurator ad negotia generalis constitutus est, is etiam agere, ac defendere in iudicio potest, exceptis casibus, qui mandatum speciale requirunt. Hos speciales casus Gl. recenset in c. præced. ver. vel pacifici.

NOTANDVM Vn. Procurator constitutus ad omnia negotia, censetur etiam constitutus ad agendas causas in iudicio, cum & hæc negotia quædam sint. Sed non vice versa, constitutus procurator ad causas iudicarias, alia etiam negotia domini expedire potest. Cum mandatum extendi non debeat de causa ad casum, l. si procurator, 10. C. eod.

§. Nedum.

Illiusfam. absque patris consensu procurator esse potest non tantum ad negotia, sed etiam ad iudicia. Hac de re dixi in c. penult. not. 1. hoc tit. in antiquis.

§. Licet.

Procurator ad iudicia constitui non potest, nisi maior xxv. annis: Sed procu-

ratori ad negotia sufficiat anni xvii. completi. Hac de re dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 26. n. 7. §. Procurator.

CAPITVLVM VI.

Si duo.

PARAPHRASIS.

Si duo Procuratores simul constituti sint simpliciter, vnus sine altero admitti non debet: Secus verò est, si yterque in solidum deputatus sit: tunc ille præferendus est, qui causam per lites contestationem præoccupauit: Ita ut alter se postea immiscere haud possit; cum ille dominus lites effectus fuerit. Quod si verò in mandato adiectum sit, ut occupantis melior conditio non sit, hæc clausula saltem id operabitur, ut si illum mori, abesse, aut morbo aliâue ratione impediri contigerit, alter causam inchoatam assumere & perficere possit: præterquam si alium sibi procuratorem substituerit, is enim præferri debet.

SUMMARIVM.

Si duo procuratores super eadem causâ successiue constituti sint, posteriore constituto ceteri debet reuocatus prior. Si simul autem sint ambo constituti & simpliciter, ambo admitti debent, ita ut vnus sine altero nil efficiat; si yterque in solidum, tunc vno per lites contestationem præoccupante, alter omnino exclusus est, nisi clausula in mandato contenta vnus præoccupationi, & alterius exclusioni præiudicet.

Si duo procuratores super eadem causa, seu lite constituantur, ita distingue: Vel simul constituti sunt, vel non simul. Si hoc secundum, posteriore in eadem causa designato, ceteri debet prior reuocatus, c. si quis, 31. §. Iulianus, ff. eod. Idque locum habet, tametsi posterior mandatum non suscepit.

H h h h h 2 secun-

secundum Gl. communiter hic receptam, ver. fecit. Quod si simul constituti sunt, tunc vel simpliciter, vel in solidum: Si simpliciter, ambo admitti debent, & vnus sine altero nihil efficere poterit. Quod idem de iudicibus simul delegatis habetur in c. causam, 16. de offic. delegati, c. prudentiam, 21. eod. tit. Sin vero vterque in solidum, id est, vt singuli seorsim litem prosequi possint, tunc vno per litem contestationem causam praecipiente, alter omnino exclusus est. Praeterquam si in mandato contineatur clausula, qua huic praecipiente vnus, & exclusioni alterius derogatum sit. Haec enim clausula licet efficere nequeat, vt, dum is, qui prior litem contestatus fuit, iudicium prosequi vult, & potest, se alter immisceat (cum id bono publico, & litium expeditioni aduersetur) tamen id saltem operatur, vt si ille qui praecipuit, impeditus sit, aut causam prosequi nolit, in hoc euentu alter suscipere non prohibeatur, dummodo ille neminem in locum suum substituerit, sicuti in textu dicitur. Ita explicat Gl. hic ver. occupantis, vbi regulam allegat: Si quod ago, non valet in totum, valet ea parte ac modo, quo valere potest.

QVÆRES: Quare iudicibus duobus in solidum delegatis, si qui praecipuit, procedere nolit, aut impeditus sit, alter succedere potest, etsi id in commissione expressum non fuerit, iuxta c. cum plures, 8. de offic. delegati, in 6. Duobus autem constitutis procuratoribus, vno praecipiente, alter penitus exclusus censeatur, nisi huic exclusioni per clausulam derogetur. Respondeo; Quia Iudices in solidum delegati ab ipsa lege, seu canone communionem quandam habere censentur, ob velociorem causarum seu litium expeditionem, sicuti dictum fuit in cit. c. cum plures. At vero Procuratores in solidum constituti à iure communionem non habent: (cum pluralitas Procuratorum negotij expeditionem potius impediat) quare eam ab homine accipere debent.

* * *

§ Cæterum.

Sis, qui praecipuerat, ac postea celsauerat, propter impedimentum, eo sublato causam resumere velit, admitti non debet: nisi & alter, qui causam suscepit, impeditus tunc reperiat.

§ Sanè.

Sin causis spiritualibus, quæ celeriore expeditionem postulant, videl. electionum, postulationum, provisionum, duo Procuratores non in solidum dati sunt, iudex, quem magis idoneum censuerit, eligere potest: ne alioquin propter eorum concursum negotia intricari contingat. Neque alter Procurator admitti amplius debet, nisi, qui praecipuerat, causam prosequi nolit, aut non possit.

CAPITVLVM VII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Titius absens misit mandatum procuratori-um ad Caium, is suscipere recusauit: postea vero mutata voluntate suscepit. Queritur, an id fieri poterit. Affirmat Bonifacius VIII. Dummodo ille, qui Procuratorem constituit, in eadem perseverarit voluntate.

SVMMARIVM.

1. Procurator non cogitur suscipere officium procuratoris, susceptum vero ex quo cogitur; vel mature re adhuc integra, ei renunciare.
2. In mandato & alijs contractibus, qui mutuo consensu perficiuntur, licet alter dissenserit, si tamen postea consentiat, ratum est contractus, modo alter in pristina voluntate perseverauerit.
3. Idem est in actu electionis, & collatione beneficij.

NOTANDVM I. Procurator non cogitur suscipere officium procuratoris, I. filius-

l. filiusfam 8. §. Inuitus, ff. eod. l. inuitus, 17. C. eod. Polteaquam verò suscepit, exequi cogitur, vel maturè renuntiare, dum res integrà est, iuxta §. mandatum, Inst. de mandato, & l. si mandauero, 22. §. vlt. ff. mandati.

Cæterùm posteaquam Procurator rei satisfecit de soluendo iudicatio, vel si ipse reus loco Procuratoris scientis satisfecit, tum renuntiare procuratori absque iusta & urgente causa, seu impedimento non permittitur. l. mutus, 43. §. Qui non cogitur, ff. eod. & Clem. 1. eod. tit. Vide Gl. in ead. Clem. ver. cogi.

NOTANDVM II. In mandato, & alijs contractibus, qui mutuo consensu perficiuntur, si pactionem offerenti seu contrahere volenti aliquis dissentiat, sed postea consentiat, ratus erit contractus: dummodò ille in eadem manserit voluntate. Ita Gl. margin. hîc, & Petrus Ancharanus not. 2. Refert tamen, vtrum absens sit, an præsens, qui stipulationem, seu pactionem obtulit. Si enim absens sit, & de dissensu alterius nihil intellexit, nec probabiliter suspicari possit, præsumitur in eadem perseverasse contrahendi voluntate, sicuti indicat Gl. magna hîc in fine dicens, quòd *voluntas semel posita, semper præsumitur, nisi contrarium probetur.* Sin verò præsens sit, & dissensum alterius, cui pactionem obtulit, cognoscat, tum si ille pœnitentiã ductus de nouo consentire velit, responderè potest, se iam mutasse voluntatem, ita vt cõtractus consistere nequeat. eò quòd ad eius constitutionem necessarium sit, vt consensus partium vniantur, seu eodem tempore concurrant, arg. l. 2. iun. Gl. ver. consentire, ff. de obligat. & actionibus.

Corollarium. Idem eadem ratione docet Gl. fin. communiter recepta de electione. Si videl. electus, cum ipsi præsentatur electio, ei renuntiet, mox verò pœnitentiã ductus acceptet, validam fore acceptationem, dummodò electores voluntatem interim non mutarint, seu quod idem est, renuntiationem electi non acceptarint. Sed & idem in collatione beneficij absenti facta locum ha-

bere, quod dictum est, tradit hîc Petr. Ancharanus, ver. opponit.

CAPITVLVM VIII.

Si quem.

SUMMARIVM.

Dominus constituens Procuratorem, quia eum abesse oportuit, reuersus ad locum iudicij censetur reuocare Procuratorem, nisi ex circumstantijs contrarium colligatur, vel constitutus sit sub hac forma: Quoties me abesse contigerit.

SI Titium Procuratorem constitueris sub hac forma, quoties te abesse contigerit, tamen postea reuersus ipsemet causam tractandam assumes, non ideo Procuratorem reuocare censendus es. Quin imò Titius Procuratoris officium iterum assumere poterit, quoties te absentare contigerit.

Sin autem Procuratorem simpliciter constitueris, ac deinde, seu ante, seu post lris contestationem, ad iudicium venias, non vt Procuratori assistas, sed vt ipsemet causam tractes, tum procuratorium ab illo mandatum reuocare censeberis: Nisi contrarium expressè protestaris, vel ex coniecturis appareat, quòd nolis eum simpliciter amouere. Vt si certum causæ articulum, de quo maiorem ipse cognitionem habes, tractandum tibi assumes, aut si Procurator se ad tempus absentet, vel infirmus sit, &c. Hanc materiam latius tractat Petr. Ancharanus in c. 2. hoc lib. & tit. Ita distinguens: Vel dominus causæ Procuratorem constituit, quia ipsemet abesse oportuit: tunc si reuersus sit ad locum iudicij, censetur reuocare Procuratorem, vt docent DD. in l. Qui mutuam, 56. §. Non ideo minus, ff. mandati.

Excipe I. Nisi ex circumstantijs contrarium colligatur, vt quia patitur eum omnia agere, sicuti priùs, arg. l. item quæritur, 13. §. Qui repleto, ff. locati, & videri potest Domin. hîc.

Excipe II. Nisi constitutus sit sub ea for-

H h h h 3 ma,

ma, quoties me abesse contigerit: Tunc enim non sublata, sed suspensa cenferi debet potestas Procuratoris, dum iterum dominus discedat.

Vel non, saltem principaliter, ob causam absentiae Procuratorem constituit, tunc si veniat ad iudicium tantummodo ut assistat Procuratori, eumque agentem dirigat, aut iuuet, certum est non reuocari eius officium, iuxta l. Paulus, 69. ff. de Procurator. Sin autem causam in persona sua tractandam assumat, refert, an praesente & non impedito Procuratore id agat, an vero eodem absente, vel impedito. Hoc posteriore casu non censetur eum reuocare: sed priore maxime, nisi contrarium exprimat, vel ex conjecturis praesumi possit.

QVÆRES: Quomodo fieri potest, ut dominus contestatae litis instantiam à Procuratore in se transferat. Respondeo: Si Procurator adsit, & non contradicat, tum hoc ipso consentire, & litis instantiam cedere domino censetur, iuxta l. in causa, §. 27. §. Si ex parte, ff. eod. & videri potest Ancharan. cit. loco. Geminianus hic, super Gl. ver. siue post. Sin vero Procurator, vel ipse aduersarius se opponat, tunc reuocari non potest, nisi causa prius cognita, sicuti supra dictum est.

CAPITVLVM VLT, Procurator.

PARAPHRASIS.

Procuratoris mandatum ad matrimonium contrahendum censetur esse speciale: Et quamuis alioquin Procurator ad negotia alium Procuratorem substituere possit; iste tamen non potest, nisi specialiter ei commissum fuerit: propterea quod negotium istud valde arduum sit.

SVMARIYM.

1. *Causa matrimonij, maxime per Procuratorem contrahendi, valde ardua est; hinc Procurator ad hoc debet habere speciale mandatum.*

2. *Nec potest alium sibi substituere.*
3. *Et si talis Procurator reuocatus fuerit, contrahi matrimonium valide non potest, etsi & ipse, & persona, cum qua contrahendum erat, reuocationem ignoret.*
4. *Idem est in sponsalibus.*

NOTANDVM I. Causa matrimonij, praesertim per Procuratorem contrahendi, valde ardua censetur, propter periculum, quod inde prouenire potest, si negotium istud imprudenter tractetur. Quamobrem mandatum istud adeo speciale censetur, ut sub generali clausula, & alia omnia, non comprehendatur: Imò etiam expressiorem, seu determinationem personae, quae contrahendum sit, requirat. ut hic Gl. notauit ex l. generali, §. 4. ff. de ritu nuptiarum, vbi rubr. ex Baldo: *Generale mandatum de nuptijs non sufficit, nisi mandantis ratihabio sequatur.* Ratio est: Quia consensus contrahentium in personam determinatam de substantia matrimonij existit.

NOTANDVM II. Si negotium valde arduum committatur, ita ut industria personae electa videatur, non est Procuratori concessum alium sibi substituere. De hoc dixi etiam supra c. 1. in fine, hoc lib. & tit.

§. Sanè.

SI Procurator ad matrimonium cum certa persona contrahendum constitutus, reuocatus fuerit, postea contrahi non potest; tametsi & Procurator, & persona, quae contrahendum erat, reuocationem ignorarit.

Est vero id speciale in matrimonio, sicut ut dixi in c. ex parte, §. 33. de rescript. §. Pro pleniore, & in c. 1. hoc lib. & tit. Ratio affertur in fine huius c. Cum enim utriusque partis formalis ac mutuus consensus sit de substantia matrimonij contrahendi, adeo ut per ius posituum suppleri haud possit; consequens est, si altera pars consensum reuocauerit, matrimonium postea à Procuratore contractum, subsistere non posse. Vide quae dixi lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 1. & c. 7.

QVÆ.

4 **QVÆRITVS:** Quæ hîc dicta sunt de matrimonio, vtrum etiam ad sponsalia transferri possint: Vt & ea specieate mandatum requirant, & Procurator alium sibi substituere nō possit, & post reuocationem etiam ignoratam inualidè contrahat. Responso est affir-

matia, cum Dominico hîc, ver. **QVÆRO,** Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 11. n. 2. Quia sponsalia sunt via, ac dispositio ad matrimonium, ac proinde eius quodammodo naturam, ac condiciones participant, arg. l. oratio, 16. ff. de sponsalibus.

TITVLVS XXXIX. DE SYNDICO.

CAPITVLVM Vn.

Sicut.

PARAPHRASIS.



Regorius I. Papa in hoc c. ait; Se sollicitè curare, vt Monachi à forensibus litigijs abstineant, interim verò iura eorum ac bona non negligantur. **Q**uamobrem mandat cuidam Subdiacono, vt Monasterij cuiusdam generalem Procuratorem, seu Syndicum, designato ipsi salario, constituat. Præstat enim, vt modicum aliquid expendant serui DEI, quàm vt ipsimet forensium causarum strepitu implicentur.

SVMMARIVM.

1. *Religiosi in causa monasterij ex mandato Prælati officio Procuratoris fungi possunt, consultius tamen est, vt Syndicum seu Actorem constituant.*

2. *Licet Religiosos deceat pacem & concordiam sectari, iura tamen & bona ecclesie sue defendere debent, nisi quòd scandali vitandi causâ interdum aliquid dimittere possint.*

NOTANDVM I. Tamesi Religiosi in causa Monasterij ex mandato Prælati Procuratoris officio fungi possint, c. 2. de postulando; c. insuper, 6. de testibus. consultius tamen est, vt ipsimet à forensibus iurgijs abstinentes, Syndicum seu Actorem constituant. Excipe cum Abb. hîc n. 4. Nisi Monasterium tam inops sit, vt salarium Procuratori dare non possit: vel nisi Procuratorem alium idoneum, aut fidelem acquirere nequeat.

NOTANDVM II. Tamesi Religiosos deceat quàm maximè iurgia vitare, & quæ pacis & concordie sunt sectari; interim tamen iura ac bona ecclesie sue defendere debent. Nisi quòd vitandi scandali causâ interdum aliquid dimittere possint. *Qua de re dixi lib. 2. Theol. moral. tr. 3. c. 13. n. 9.*



TITV.